

testate detinet, comperto illius Domino *ad Restitutionem* tenetur. Quodsi res aliena nec formaliter in se, nec etiam in æquivalenti superfit, lege naturali ad damnum de suo refarciendum obstringitur, quisquis illud iniuste ac voluntarie intulit.

XCVII. Juri defensionis et indemnitis vulgo *Jus puniendi* coniungi solet, quo aggressor aliique similes improbi a læsionibus de novo repetendis absterrentur: vindictæ autem cupido absit oportet.

XCVIII. Si iura sint dubia, nequaquam licet illico violentiam exercere; sed iuris dubii tentanda prius *Probatio* est: et siquidem de iure adquisito certetur, onus probandi incumbit illi, qui *facti dubii* existentiam, vel *certi iniustitiam* adfirmat: ius vero suum conatum probare nemo tenetur.

XCIX. Durante dubio *Compositioni amica* per colloquia, mediatores, vel etiam *Transactioni* locus est: si vero *de Arbitro* per compromissum convenerint, Laudo adquiescere ambo litigantes tenebuntur.